

THE COLLEGES OF OXFORD UNIVERSITY

Entrance Examination in Classics  
and  
Entrance Examination in Modern Languages  
1993

LATIN TRANSLATION

Thursday, 18th November 1993. Afternoon  
Time allowed: 3 hours

---

*Candidates should attempt all THREE passages. They are in roughly ascending order of difficulty, and candidates are advised to work them in sequence. Credit will be given for all work done, even if the paper is not completed.*

- (a) The fortunes of Alcibiades after the defeat of his city Athens

At Alcibiades, victis Atheniensibus non satis tuta eadem loca sibi arbitrans, penitus in Threciam se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillime suam fortunam occuli posse. falso. nam Threces, postquam eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias fecerunt: qui ea quae apportarat abstulerunt, ipsum capere non potuerunt. ille, cernens nullum locum sibi tutum in Graecia propter potentiam Lacedaemoniorum, ad Pharnabazum in Asiam transiit, quem quidem adeo sua cepit humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet. namque ei Grynium dederat, in Phrygia castrum, ex quo quinguagena talenta vectigalis capiebat. qua fortuna Alcibiades non erat contentus neque Athenas victas Lacedaemoniis servire poterat pati. itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. sed videbat id sine rege Perse non posse fieri, ideoque eum amicum sibi cupiebat adiungi neque dubitabat facile se consecuturum, si modo eius conveniundi habuisset potestatem. nam Cyrum fratrem ei bellum clam parare Lacedaemoniis adiuvantibus sciebat: id si aperuisset, magnam se initurum gratiam videbat.

(NEPOS, *Alcibiades* 9)

Thracia	Thrace
Propontis	Sea of Marmara
Threces	Thracians
quinguagena	fifty on each occasion

TURN OVER

## (b) Pyramus and Thisbe find a way of communicating through the wall

Pyramus et Thisbe, iuvenum pulcherrimus alter,  
 altera, quas Oriens habuit, praelata puellis,  
 contiguas tenuere domos, ubi dicitur altam  
coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.  
 notitiam primosque gradus vicinia fecit,  
 tempore crevit amor; taedae quoque iure coissent,  
 sed vetuere patres: quod non potuere vetare,  
 ex aequo captis ardebant mentibus ambo.  
 conscius omnis abest; nutu signisque loquuntur,  
 quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis.  
 fissus erat tenui rima, quam duxerat olim,  
 cum fieret, paries domui communis utrique.  
 id vitium nulli per saecula longa notatum -  
 quid non sentit amor? - primi vidistis amantes  
 et vocis fecistis iter, tutaeque per illud  
 murmure blanditiae minimo transire solebant.  
 saepe, ubi constiterant hinc Thisbe, Pyramus illinc,  
 inque vices fuerat captatus anhelitus oris,  
 'invide' dicebant 'paries, quid amantibus obstas?  
 quantum erat, ut sineres toto nos corpore iungi  
 aut, hoc si nimium est, vel ad oscula danda pateres?'

(OVID, *Metamorphoses* iv 55-75)

coctilis	made of brick
Semiramis	the queen and builder of Babylon
taeda	marriage torch
anhelitus	panting breath

## (c) Choosing a lifestyle

in primis autem constituendum est, quos nos et quales esse velimus et in quo genere vitae, quae deliberatio est omnium difficillima. ineunte enim adulescentia, cum est maxima inbecillitas consilii, tum id sibi quisque genus aetatis degendae constituit, quod maxime adamavit; itaque ante implicatur aliquo certo genere cursuque vivendi, quam potuit quod optimum esset iudicare. nam quod Herculem Prodicus dicit, ut est apud Xenophontem, cum primum pubesceret, quod tempus a natura ad deligendum quam quisque viam vivendi sit ingressurus datum est, exisse in solitudinem atque ibi sedentem diu secum multumque dubitasse, cum duas cerneret vias, unam Voluptatis, alteram Virtutis, utram ingredi melius esset, hoc Herculi 'Iovis satu edito' potuit fortasse contingere, nobis non item, qui imitamur quos cuique visum est, atque ad eorum studia institutaque impellimur; plerumque autem parentium praeceptis inbuti ad eorum consuetudinem moremque deducimur; alii multitudinis iudicio feruntur, quaeque maiori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptant; non nulli tamen sive felicitate quadam sive bonitate naturae sine parentum disciplina rectam vitae secuti sunt viam.

(CICERO, *De Officiis* i 117-8)

dego	I pass, lead (a life)
Iovis satu edito	offspring of the seed of Jupiter